

mediocritas est circa terribilia. Fortitudo mulieris si non est fortitudo, nihil ad rem. Si fortitudo est, mediocritas circa terribilia sit necesse est. Quomodo haec fortitudo ministrat illi fortitudini?

Ministrat sane mulier nostris moribus, institutis, civitatibus,  
5 domibus, viro aliquibus in rebus servat, cibos praeparat, telas facit, suit talia alia: at, si pugnandum sit, occurrant ambo, intrepidi pugnant, quomodo mulieris fortitudo ministrat viri fortitudini? Non est igitur natura ac per se fortitudo mulieris ύπηρετική, ministra viri fortitudini, quia accidat mulierem esse aliis in rebus  
10 ministram. Eadem dico de temperantia ac reliquis aioque patris ac filii, domini ac servi, quatenus homines sunt, easdem specie esse virtutes animi, ab eadem enim ratione in iisdem passionibus, per easdem actiones ingenerantur. Habere tamen quasdam proprias quemque ipsorum, quatenus alter dominus, alter ser-  
15 vus; hic ut recte obediatur, ille ut recte imperet. Vir ut curet rus, negotia, rem paret domui, mulier ut domum curet, conservet res illatas, virum colat, pudicitiam servet, haec autem non eadem est virtus cum temperantia? Et γυναικὶ κόσμον σιγὴ φέρει<sup>iii</sup> mulieri ornatum silentium fert, verum est, quatenus uxor est et quatenus  
20 ministra.

Neque nunc dispergo an sit necesse servum vel artificem habere aliam virtutem quam eam, qua sit πρὸς τ' ἀναγκαῖα χρήσιμος<sup>iv</sup> ad necessaria utilis, ut ipse ait. Sed si quatenus homo virtutem habeat eandem specie cum virtute hominis esse. Nec  
25 ad Platonem haec disputatio pertinet, qui servorum nullam in Re publica instituit educationem, artificum vero aliorumque, quos necessarios appellat non autem cives, non admodum multam, ut hic Aristoteles longiuscule digreditur. Et si vera sint haec verba:<sup>4</sup> necesse est ad rem publicam respicientes instituere et pueros et mulie-  
30 res. Cur Platonem carpit, qui mulieres in sua Re publica ad finem ac formam illius rei publicae format?

<sup>4</sup> ἀναγκαῖον πρὸς τὴν πολιτείαν βλέποντας παιδεύειν καὶ τοὺς παῖδας καὶ τὰς γυναικας. [ARIST. Pol. 1260b.15 – 16]

<sup>iii</sup> γυναικὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. ARIST. Pol. 1260a.30.

<sup>iv</sup> πρὸς τὰναγκαῖα χρήσιμον; ARIST. Pol. 1260a.34.